



Aug VI 182

Occasionalia  
p. 111  
vol. 22  
W-182.

W-182



IVVENI  
FLORENTISSIMO ET PRAESTANTISSIMO  
**IOANNI DAVID  
KOELERO**

SAPIENTIAE ET HVMANITATIS  
ALVMO

IN  
CASTRIS APOLLINIS  
STRENVE MILITANTI

**LAVREAM DOCTORIS PHILOSO-  
PHIAE SVMMAM**

PALMAMQVE PVBLICAM

GRATV LATVR  
CONTVBERNALIS

**PAVLLVS KESLERVS**

L. L. STUDIO SVS.

VITEMBERGAE,

D. XVI. KAL. NOV. c1b 1b CCIV.

---

*VITEMBERGÆ, Prelo GERDESIANO.*





**V**m Mars Gradivus inter lituorum tubarum-  
que strepitus, et tonantium machinarum  
fragores saga fumat, et bellicum canens, in-  
ter tympanorum sonitus fortissimos con-  
scribit exercitus: militat etiam Apollo, et castra sua con-  
stituit Minerva. Vt enim ille furorem immanissimo-  
rum hostium olim represit, et superbae Niobis libe-  
ros sagittis transfixit, foedumque aspectu serpentem, Py-  
thonem, ad Parnasi radices, interfecit; et haec hastata  
Virago contra vasti corporis gigantes, coeleste regnum  
affectantes, feliciter depugnavit: sic hodie quoque ad-  
versus barbariem, literis interitum vastitatemque mini-  
tantem, acriter dimicant, et educentes in scholis et Aca-  
demiis iuvenum militantium cohortes, decus sapientiae  
asserunt, eiusque gloriam ab adversariorum iniuria de-  
fendunt et tuentur. Sub illorum signis strenue quoque  
hactenus meruisti **I V V E N I S P R A E S T A N T I S S I M E**  
**E T H V M A N I S S I M E**, huiusque togatae militiae mu-  
nia animi corporisque robore firmiter sustinuisti. Sa-  
cramentum dixisti in aede sapientiae, et in domicilio  
sanctae castaeque illi Divae in monte Afrano, quem Al-  
bis flumen alluit, ab aeternae memoriae Principibus,  
**MAVRITIO** et **AVGVSTO**, dedicato. Ibi non  
secus ac infensissimus Romanorum Hannibal, quasi ad  
aram adductus, conceptis verbis iuravisti, Te perpetu-  
as cum ignavia, inscitia, otio, aliisque literarum hosti-  
bus, inimicitias suscepturum. Id iusiurandum Praecep-  
toribus datum usque ad hanc diem, ita summa religio-  
ne servasti, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo  
vitae tempore eadem mente sis futurus. Accedit insi-  
tum Tibi, et velut haereditate relictum odium pater-  
num ad versus omnes ingenii studiorumque pestes, quod  
sic

fic per integrum sexennium, in docto illo pulvere confirmasti, ut prius animum, quam tale adversus barbariem odium deponere cogitares. Cum itaque ignorantiae bellum decrevisse, comparatis ad vincendum hostem subsidiis, ad nostras Athenas, tanquam ad arcem religionis et doctrinae, accessisti in campum gloriosi certaminis descensurus. Fingunt Poetae, Minervam Achillem et Memnonem in proelia ruentes galeis, thoracibusque obarmasse. Non fabulis opus est, cum ingenium maxime docile, bonarumque artium capacissimum Deus tibi concesserit, et mirificam tam iudicandi facultatem, quam memoriae felicitatem dederit, ut his cumulatissimis naturae et industriae bonis, inter aequales excellas. Tali praesidio Te munivit divina clementia, et eiusmodi invictum robur indidit animo tuo, quo omnes obstantes difficultates superare, resque vehementer arduas, laborumque plenas perficere vales. Aduerunt enim ab ineunte aetate hanc ad elegantiores doctrinam aptam accommodatamque indolem, sua institutione, seduli doctores, ad quos omni cura et modestia Te adiunxisti. Hic versatus es in doctorum hominum frequentissima celebritate, eorumque oculis et conspectui Te exposuisti. In primis autem in hac literarum palaestra ad debellandam mentis caliginem omnia arma Tibi, Dei immortalis beneficio, largiti sunt illustres SCHVRZFLEISCHII, omnibusque eruditionis copiis Te instruxerunt, quorum auspicio ductuque egregie depugnasti, et nobiles passim victorias retulisti. Non enim inanibus rebus, prudenti consilio, consumere aetatem voluisti, quoniam quid utile, quidve inutile sit, satis superque cognoras; sed omne tempus tribuere cupiebas reconditis Graecarum Romanarumque antiquitatum studiis, et cognitioni linguae utriusque gentis, omni-

omnium quoque aetatum, seculorumque historiae, omnem horam perire dicens, quae non bonis disciplinis, quibus aperiuntur honorum fontes, impendiretur. Nunquam pios tuos laudabilesque conatus frustrata est fortuna, neque ulla eos remorata est difficultas. Coelesti corroboratus auxilio bellum indixisti voluptatibus, inimicitias denunciaſti incitiae, et erga inertissimum ignavisſimumque otium hostiles semper spiritus gesſisti. Gaudeo itaque, vehementerque laetor, Te etiam hanc amplissimam laudem consecutum, profligatis hostibus, nobilissimum nunc fortitudinis tuae praemium auferre. Non mediocri enim afficior voluptate, cum in huius diei solennitate, victrici lauro Te redimitum aspicio, et qualis evasurus sis, tacito quodam sensu et cogitatione praecipio. Sint clara eruditorum certamina in ludis Olympicis, ornentur eximia laude Rhetores Lugdunenses, ad aram Augusti certantes, omnibus anteponantur in Capitolio auctore Domitiano exercitationes Poetarum institutae, erit profecto inter horum laudes aliquid Academiae nostrae concedendum, quae iuvenes ad virtutis literarumque splendorem natos, exploratis eorum viribus, omni afficit honore. Applaudo itaque Patribus, qui novum studiis tuis decus addiderunt: Tibi vero gratulor ex animo auspiciſſima Ordinis Philosophorum insignia, et ut ea Tibi bene eveniant, Deum optimum maximum precor. Fortunet ille tuam industriam, et Numine suo, nutuque propitius efficiat, ut salvus sis et felix literarum propugnator. Nihil restingat tuum ardorem, nihil frangat animum, nihil denique moram et tarditatem afferat tuis laboribus, ut continuo et non interrupto cursu ad metam exoptatissimam pervenias, et uberrimos diligentiae fructus, promeritosque virtute honores consequaris.

Ung. VI 182

FLCN





IVVENI  
FLORENTISSIMO ET PRAESTANTISSIMO  
**IOANNI DAVID  
KOELERO**

SAPIENTIAE ET HVMANITATIS

ALVMNO

IN

RIS APOLLINIS

RENVE MILITANTI

**DOCTORIS PHILOSO-  
PHIAE SVMMAM**

AMQVE PVBLICAM

GRATVLATVR

CONTVBERNALIS

**VS KESLERVS**

L. STUDIOVS.

TEMBERGAE

KAL. NOV. c 13 13 GGIV.

RGAE, Prelo GERDESIANO.

